

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Confessio m
cum fonte primo

Peccatores nos in tranquillitate loquimur
sed, cum de peccatis ipsis flagello interueniente
corripimur, murmuramus.
Pena ergo nos interrogat
si culpam ueraciter cognoscimus.

Nam
peccatores nos quidem in tranquillitate loquimur,
sed cum de peccatis ipsis flagello interueniente
corripimur, murmuramus.
Poena ergo nos interrogat,
si ueraciter cognoscimus culpam.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 24.9 (CCSL
143B, M. Adriaen ed., p.1204, ll.28-31).

Plerumque grauioris certaminis est commissa
peccata prodere quam non admissa uitare.

Scio enim quia per infirmitatis uerecundiam
plerumque grauioris est certaminis commissa
peccata prodere quam non admissa uitare,
et unumquodque malum quamuis robustius uitetur,
tamen humiliter proditur.

Gregorius ibidem (libro XXII. moralium).

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 22.15 (CCSL
143A, M. Adriaen ed., p.1116, ll.113-116).